

1294, novembre, 28

Testament de Saurina de Torrent, viuda de Berenguer de Torrent, que institueix aniversaris a Sant Daniel, on escull sepultura.

ASD núm. 311, còpia de 1308, closa per Besalú Burgués, notari de Girona, 555 x 385 mm. Hi ha amb el mateix núm. una altra còpia de 1322, closa per Pere Massanet, notari de Girona, 635 x 360 mm. Hi ha, amb el núm. 312, dues còpies de les clàusules d'institució d'aniversaris; una de 1302, closa per Pere Burgués, notari de Girona, 300 x 325 mm, i l'altra de 1308, closa pel mateix, 370 x 275 mm.

Quoniam nullus in carne positus mortem euadere potest, in Christi nomine ego domina Saurina de Torrente, uxor quòndam Berengarii de Torrente, in meo tamen bono sensu in mea plena memoria ac loquela meum facio testamentum siue meam ultimam uoluntatem, in quo uel in qua si me mori contigerit antequam michi aliud liceat condere testamentum omnia bona mea mobilia et immobilia ordinata reperiantur. Et eligo meos manumissores, uidelicet dominum Francischum Alcherii, archidiaconum de Silua, et Gaucerandum de Begurio militem et Martinum de Ciyario, ciuem Gerunde, quibus sine dampno eorum dono plenum et liberum passepetendi, exigendi et recipiendi in iure et extra ius omnia bona mea mobilia et immobilia et ea distribuendi sicut hic inferius inuenerint ordinatum, et idem posse faciendi omnia predicta dono predicto Gaucerando soli, sine aliis manumissoribus supradictis. Imprimis uolo et mando quod omnia debita mea soluantur et iniurie restituantur simpliciter et de plano, secundum forum anime ad cognicionem guardiani fratrum minorum Gerunde qui pro tempore fuerit et prioris predicatorum qui pro tempore fuerit de bonis meis, scilicet omnibus mobilibus et immobilibus et semouentibus ubicumque sint, que omnia statim post mortem meam uendantur per manumissores meos et dicta debita et iniurias restituantur, que si non sufficeret nullus eorum quibus aliquid de redditibus lego aliquid percipiat, donec sit de hiis plenarie satisfactum sicut inferius continetur. Et eligo sepulturam meam in cimiterio Sancti Danielis Gerunde, et dimito ibi uiginti solidos pro sepultura et uiginti solidos pro missis ibi celebrandis et unum lectum pannorum in ornamentis ecclesie cum meo cohoptorio cirico. Item dimito conuentibus fratrum minorum et fratrum predicatorum Gerunde, unicuique quinquaginta solidos pro pietantia in die obitus mei. Item dimito quingentos solidos pro missis celebrandis in domibus eorum, qui inter eos equaliter diuidantur pro anima mea et parentum meorum et Berengarii de Hurriollis, et uolo quod statim post mortem meam soluantur. Item dimito pro meis iniuriis oblitis ducentos solidos, qui per ipsos manumissores meos dentur in piis causis pro anima mea et illorum quibus teneor ad cognicionem et assensum predictorum gardiani et prioris. Item dimito ecclesie Sancte Marie sedis Gerunde .x. solidos; item ecclesiis Sancti Felici et Sancti Martini et Sancti Petri, unicuique quinque solidos, et aliis ecclesiis Gerunde et hospitali nouo et hospitali ueteri, unicuique duos solidos; inter ecclesiam de Cilrano et clericos .xx. solidos. Item instituo duo anniuersaria in monasterio Sancti Danielis, unum scilicet pro anima mea et aliud pro anima domine matris mee et quod pro anniuersario conuentus habeat uiginti solidos pro pietantia et .xx. solidi sint ibi pro missis celebrandis. Item dimito et instituo alia duo anniuersaria, scilicet unum in domo fratrum minorum Gerunde et aliud in domo fratrum

predicatorum Gerunde, ita quod annuatim in die obitus mei celebrent et orent Deum pro anima mea et parentum meorum, et pro animabus Berengarii de Hurriollis et Berengarii de Aquaiuia quondam mariti mei et aliorum quibus teneor, pro quibus anniuersariis unicuique conuentui dono et assigno quadraginta solidos barchinonenses de temo, ad que anniuersaria soluenda dictis fratribus minoribus et predicatoribus ac etiam dicto monasterio Sancti Danielis dono et assigno totum honorem meum dictum de Midiniano, excepto illud quod cum instrumento dedi et assignaui clauigero de Cilrano, et mansum meum uocatum de Podio, et mansum meum uocatum Matheum, quos mansos habeo in parrochia de Uilaubino, cum omnibus censibus, agradis et tenedonibus predictorum honorum et mansorum et cum hominibus et feminis ibi habitantibus, et cum terciis, laudismiis et forecapiis prouenientibus et iuribus suis, sic quod omnia ista que dictis anniuersariis assigno semper teneat sacristana monasterii Sancti Danielis que pro tempore fuerit, et de redditibus predictorum honorum et mansorum soluat annuatim perpetuo in die mei anniuersarii quatuor supradicta anniuersaria, quod nisi fecerit et compleuerit dicta sacristana, supradictus guardianus et prior possint omnia que pro anniuersariis assigno comittere alicui alteri qui compleat et compleri faciat integre seruicium antedictum, quoniam etiam sic appositum possint sempre quociens eis uidebitur amouere et alium substituere. Residuum autem dictorum reddituum, retenta retrodecima a dicta sacristana uel ab alio qui dictos honores tenebit pro suo labore, diuidat mediatim, ita quod unam partem donet annuatim conuentui Sancti Danielis pro pietantia, et alteram pro missis celebrandis, de qua etiam parte faciat unam tortam ceream que seruiet ad eleuacionem corporis Domini in omnibus missis in dicta ecclesia celebrandis. Item dimitto unum anniuersarium quatuor solidorum in ecclesia de Cilrano, super mansum meum uocatum Rotlens, quos quidem .nn. solidos accipiat sacristana Sancti Danielis uel ille qui dictum honorem tenebit, et faciat fieri anniuersarium .vm. sacerdotum in ecclesia de Cilrano in die obitus mei, ita quod sacrista de Cilrano habeat pro se .xn. denarios et alii ebdomedarii et stabiliti habeant quilibet .vr. denarios. Uolo etiam et mando quod omnes redditus quos predictis anniuersariis assignaui recipiat dictus Gaucerandus de Bigurio donec completa sint omnia debita mea soluta et iniurieresti tuta, ita tamen quos(sic) istos redditus assignati pro dictis anniuersarii supradictus Gaucerandus per manum recipiat sacristane, donec ut dictum est omnia debita mea et iniurie sint integraliter restitute. Item dimitto .ce. aureos alfonssinos elemosine quam Arnaldus de Scala condam instituit in ecclesia Gerunde, de quibus ematur honor et redditus ad opus eiusdem per meos manumissores simul cum preposito elemosine pro pauperibus induendis, qui prepositus teneatur diuidere uestes pauperum de consilio et assensu predictorum gardiani et prioris. Item dimitto operi fratrum minorum Gerunde .c. aureos alfussinos. Item dimitto operi predicatorum Gerunde .c. aureos alfussinos. Item dimitto domine Ermessendi de Capraria .c. aureos alfussinos ad omnes suas uoluntates faciendas. Item dimitto Arnaldo de Capraria et Bernarda de Capraria et Eymerico de Capraria, filiis eius, unicuique .c. aureos alfussinos ad eorum uoluntates faciendas. Item dimitto pro anima Berengarii de Aquaiuia quondam mariti mei .c. aureos alfussinos, qui diuidantur per dictos meos manumissores de consilio et assensu predictorum gardiani et prioris in missis celebrandis et aliis piis causis. Item dimitto Bernarda, filio quondam Berengarii de Huriolis .ec. aureos alfussinos: Item dimitto Berengario de Scala quinquaginta aureos alfussinos. Item dimitto Bernarda Andree .x. aureos alfussinos. Item Raimundo, filio Martini de Ciyario .x.

aureos alfussinos. Item dimito predicto Martina de Ciyario .xxx. aureos alfussinos. Item dimito Gaucerando de Bigurio .ce. aureos alfussinos, et in hiis et in òmnibus aliis meis bonis et iuribus mihi competentibus ubicumque, preter illa que superius sum testata ac etiam mobilibus bonis meis que assigno ad legata mea facta, sicut positum est superius ubi aurei non nominantur, heredem uniuersalem instituo, sic quod illi quibus dimito numerum aliquod aureorum, dictos aureos eis a me dimissos habeant una cum eodem Gaucerando herede meo super illos mille quadringentos aureos quos habeo super honores qui fuerunt condam Berengarii de Aquaiuia mariti mei et quilibet eorum quibus dimito ab herede dicti Berengarii requiret, et ad nichil ultra eos heres meus uel bona mea teneantur. Itero dimito predicto Francischo Alcherii . ducentos solidos barchinonenses, quos uolo quod de bonis meis ei dentur post mortem meam. Item uolo quod omnia bona mea mobilia et immobilia et semouencia uendantur per manumissores meos et solutis debitis meis et iniuriis et legatis, dentur pro anima mea et illorum quibus teneor in missis celebrandis. Predicta autem omnia et singula uolo et mando fieri et compleri per predictos manumissores meos uel per dictum Gaucerandum per se, de assensu et uoluntate et consilio predictorum gardiani et prioris. Item uolo et mando quod credatur memoriali per me facto et sigillato sigilli gardiani Gerunde in omnibus sicut ibi scriptum est seu sunt ibi legata aliquibus personis uel alicui loco facta uel etiam sit ibi inuentarium factum per me de meis bonis mobilibus et semouentibus, et ita recognosco sicut ibi mandauit poni. Item uolo etiam quod manumissores mei teneantur reddere computum de omnibus bonis meis que recipient predictis gardiano et priori. Item uolo quod si aliquis illorum cui ego lexiam facio in aureis ante me mori contigerit, dicta lexia addatur illis .ce. aureis quos ele mosine sedis Gerunde dimisi, exceptis omnibus illis de Capraria. Item rogo dominum Poncium de Hurgio sacristam Gerunde quod teneat castrum de Palegreto post mortem meam donec aliqua ordinatio fieret de eodem, de concilio et assensu domini episcopi Gerundensis et abbatis Sancti Petri de Gallicantu et gardiani fratrum minorum Gerunde. Hec est enim mea ultima uoluntas, quam uolo ut obseruetur pro testamento, quod si non ualet iure testamenti, ualeat saltim iure codicillorum uel cuiuslibet mee ultime uoluntatis.

Actum est hoc .m. kalendas decembris anno Domini .MCC. nonagesimo quarto. Sig+num domine Saurine de Torrente predictae, que hoc testamentum facio et firmo penitus atque lauda. Testes rogati sunt Petrus Bareria, Gerallus Milani inferiori, Gerallus Milani superiori, .Raimundus Ferrandi, Bernardus Iuliani et Petrus, filius Berengarii Cocelmi, omnes de Cilrano, et Guilielmus Rossi de Torrente.  
Sig(s. man. )num Raimundi de Galidia, clerici et scriptoris iurati de Cilrano, qui hoc scripsi.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 597-601